



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quomodo fit hoc praeceptu[m], & quomodo placet Deo, & fit cultus Dei?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

bi nocuit, et tunc deprecanti tibi remittentur peccata. **I**n primis autem in Republica necessaria uirtus est cohibere cupiditatem uindictæ, quia ibi nisi interdum dissimulemus iniurias, existunt ingentes motus. **H**ic condonandæ sunt iniuria communi tranquillitati, sicut docet præceptum, **D**ilectio est uinculum integratatis, id est, ne dissoluatur Ecclesia. **V**alde laudatur Græcum illud præceptum, μὴ μυστικεῖ.

**Q**uomodo fit hoc præceptū, & quomodo placet Deo, & fit cultus Dei?

**O**mnia præcepta rescrieda sunt ad primū, Nam hoc sine omnia fieri debent, ut in ijs officijs Deo obediamus. Ita igitur fit hoc præceptum, cum prius fide statuimus, nos propter Christum placere Deo, et postea incipimus obedire Deo in his præceptis. Timemus Deum, nec uolumus eum offendere. Ideo abstinemus ab iniusta violentia, repugnamus iracundiæ, reprimitus odium. Et haec exercitia non sunt facilia. Ideo pijs in hoc certamine adiuuantur à spiritu sancto. Hæc inchoata obedientia et si procul absentia à perfectiōe, tamen propterea quia sumus in Christo, placet Deo, sicut et psalm. concionatur pijs,

pijs, **I**rascimini & nolite peccare, id est, resistite iræ. **F**it autem cultus **D**ei propter finem, quia hoc fine præstatur, ut **D**eo obediamus in his officijs, item ut propter ipsum retineamus ecclesiæ tranquillitatem.

**S E X T U M P R A E C E P T U M.**

**N**on mœchaberis.

**Q**uid præcipit sextum  
præceptum?

**A**PPRObat coniugia & coniugalem consuetudinem, Deinde prohibet omnes uagos concubitus, & prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros & incendia animorum, sicut Christus interpretatur, **Q**ui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est.

**R**ecita comminationes additas huic præcepto.

**N**on solum imbecillitas magna est in animis hominum, qua sit ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis cæcitas est, quæ facit ut extenuent homines hoc peccatum, nec uideant iram Dei aduersus hoc peccatum, nec mouentur minis æternarum aut corporalium pœnarū.

**N**am